



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Maria De Victoria. 7. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

S. MARIA DE VICTORIA. 7. Octobris.

IO! hodie, io! clama, triumphe! quisquis VIRGINI faves VICTRICI. Agebatur annus post VIRGINEM patientem supra millesimum & quingentesimum septuagesimus primus, quando Pius V. Pont. Max. contra Turcarum vim metumque belli societatem cum Hispaniarum Rege & Venetorum Republicâ feliciter iniit. Adornata itaque classis est, & Ioanne Austrio duce hosti plenis velis ac animis obviam est itum. Mox nostris triduo jejunio & Sacramentis Ecclesiæ probè munitis, classicum Dei & MARIE nomen cecinere, tunc verò omnibus viribus certatum est, eo ipso tempore, quo, quas Rolarij vocant Sodalitates, de more supplicationes ad castissima VIRGINIS pulvinaria per totum orbem instituunt. Nec frustrâ. Stetit nostrâ ex parte ACRES ORDINATA, & cum hac nobis etiam venti militabant. Proinde horarum quatuor nec amplius spatio parta memorabilis ad posteros victoria est. Cæsa etenim cum ipso duce suo barbarorum millia triginta, in libertatem Christiani asserti ter mille, quadringenti octoginta & sex. Naves captæ nonaginta supra centum. Octoginta vel flammis vel undis hausta, fugâ non nisi XX. elapsis. Tormenta in prædam cessere majora sedecim supra centum, minora verò ducenta, quinquaginta & sex. Atque hoc est, quod Opt. Pont. de victoriâ divinitus edoctus triumphum VIRGINI decrevit, quotannis iterandum, quodque non pauci è victore exercitu hostilia spolia ex voto ad Aram Lauretanam suspenderit. Fatale nimirum LYNÆ est ad VIRGINIS pedes abjici, Ex Io. Gab. in vitâ Pij V. & Pæ. Spin.

Operti

Oportet inter fluctus sæculi confugere ad Mariam. & respectu exempli ejus cursum vite dirigere: quod qui fecerit, non jactabitur vana gloria vitio, nec frangetur scopulis adversorum, nec absorbetur voragine voluptatum, sed prosperè ad aeternam quietis portum veniet. S. Epiph. in Panar.

S. GEROLDVS M. 7. Octobris.

GEROLDVS à puero pietatem ducem secutus facilè ad ipsa adyta virtutis penetravit, multas tamen idem pro castitate pugnas pugnavit, vincendus, nisi aliis armis, quàm nunc amat adolescentia, usus fuisset. Nimirum hodie nativâ in galea suâ tam molliter cristata frons ictus Cupidinis eludet? in thorace tam vulnerato non minùs lacer animus tela improba repellet? tot vincula etsi serica, vincula tamen, fugam in hæc luctâ tam laudatam promovebunt scilicet? Aliter GEROLDVS noster pugnavit. Ille fame hostem obsidere, ille animum precibus, pectus cilicio, manum flagello obarmare, toties victor, quoties cæsus, & averfis vulneribus nobilior, quàm adversis Romanus: quæ ille tunc potissimùm non horruit, cum inter pias commentationes cæsum Duce[m] ob oculos Christum posuit. Has victorias cum per Hispanias & Italiam circumtulisset, jamque Palestinam etiam meditaretur, militem suum Superi ad triumphum evocarunt. Etenim cum pagum Cremonæ vicinum transiret, latrones duo, quò in insidias pertraherent GEROLDVM, litem ex composito adsimularunt. Hic nempe, quò digladiantes dirimeret, illicò accurrit. At illi jam dudum in mortem innocentis amici caducatorè suum multis plagis confecerunt, interque silvas